

totius vini aqua misti. Quod vero eadem incommoda sequantur in contraria sententia, quæ contra secundam objecta sunt, facile patebit discurrendo per singula. Nam in primis non posset adorari totum illud, quod est in calice. Deinde etiam sacerdos non esset jejunus. Item pronomen *hic*, vel non designaret totam illam materiam, vel certe forma redderetur falsa, et inefficax. Demum, quia Sancti eodem modo, et eadem certitudine loquantur de conversione aquæ ac vini.

7. Secundo, principaliter argumentor ratione, quam indicat Alanus, quia postquam facta est mistio aquæ, quamvis substantialiter minime sit conversa in vinum, totum illud censetur vinum per modum unius potus, ut est in usu; ergo totum illud est materia apta ut convertatur; patet consequentia, tum quia Sancti solum requirunt vinum aqua mistum, et tamen communi usu et appellatione illud est proprie vinum aqua mistum; nam facta conversione aquæ in vinum, potius videtur esse vinum simplex; tum etiam secundo, quia ad consecrationem corporis tantum requiritur panis triticeus usualis, et non alius; unde etiam si habeat particulam aliquam confectam ex farina hordeacea, nihilominus tamen totum illud simpliciter consecratur; cujus ratio hæc reddi potest, quia est per modum unius cibi usualis; ergo similiter. Tum denique tertio sic argumentor, quia, si Christus dedit nobis vinum aqua mistum, ut sufficientem hujus sacramenti materiam, sine causa vel utilitate voluisset, ut omnino aqua prius converteretur in vinum, quam in sanguinem; ergo verisimilius est, his non obstantibus, esse contentum usuali mitione.

8. Nihilominus dicendum censeo, aquam non converti in sanguinem, nisi prius in vinum transmutetur. Primo, quia, ut dicitur in Catechismo Pii V, hæc est sententia omnium ecclesiasticorum scriptorum; docuit illam D. Thom. hic; et Innocent., lib. 4 de hoc mysterio, cap. 32; Rabanus, lib. de Corpore Domini, cap. 4; Alexand. Alensis, 4 part., quæst. 32, memb. 5, art. 2 et 3; et reliqui Theologi in 4, dist. 44, ubi Scotus, quæst. 7; Richardus, art. 2, quæst. 5; Major, quæst. 2; Paludanus, quæst. 4, art. 7; Bonavent., 2 part. dist., art. 4, quæst. 3, qui advertit etiam, Christum Dominum non consecrasse calicem, donec aqua in vinum fuisset conversa; Gabriel ibi, quæst. 2, et lect. 35 in canon., qui dicit esse indubitam sententiam, quam omnes moderni scriptores amplectun-

tur; et Soto, dist. 9, quæst. 4, art. 6, dicit, Innocentium III, in cap. Cum Marthæ, de Celebrat. missarum, illam ut certissimam docuisse; tamen revera Innocentius solum illam amplectitur ut probabiliorem sententiam; quod non parum movere debet ut illam amplectamur; sed illud etiam me maxime movet, quod, cum Innocentius ibi tres referat sententias de hac conversione aquæ, nullam mentionem fecit ejus, quæ asserit converti immediate in sanguinem, et idem videre licet in omnibus antiquis Scholasticis, quod est manifestum indicium, antiquorum omnium sensum, et quasi indubitam sententiam fuisse, aquam vel manere in sua substantia, vel converti in vinum, et hoc argumentum in materia sacramentorum est valde efficax.

9. Secundum hujus communis sententiæ fundamentum esse videtur, quia materia consecrationis solum est vinum, cui aqua miscetur, non ut materia, sed solum per modum cæremonie ad significationem quandam; sola autem materia est, quæ convertitur, ut per se constat. Antecedens, præter communem sensum et traditionem Scholasticorum, habet nonnullum fundamentum in Scriptura, quæ solius vini meminit. Deinde multum indicatur in Concilio Florentino, ut supra advertēbam; nam prius simpliciter dicitur, vinum esse materiam; postea additur, illi esse modicissimam aquam miscendam; insinuat etiam in cap. Firmiter, ubi solum panis et vinum dicuntur converti in corpus et sanguinem Christi; et similiter Trident., sess. 13, can. 2, dicit, panem in corpus, et vinum transire in sanguinem, et dumtaxat manere species vini, nec mentionem facit aquæ et specierum ejus; sicut ergo solus panis est materia proxime convertibilis in corpus Christi, et licet fiat ex farina et aqua, tamen aqua manens in sua substantia non est capax illius conversionis, nisi prius transeat in substantiam panis, ita solum vinum, quod ex æquo ponitur cum pane ut materia hujus sacramenti, est proxime convertibile in sanguinem, et non aqua, nisi in substantiam vini transeat. Et hoc est, quod Cypr. supra citatus ait: *Quando utrumque miscetur et adunatione confusa sibi invicem copulantur, tunc sacramentum spirituale, et cæleste perficitur; sic vero calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse sub farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque fuerit adunatum;* ubi significat non magis aquam

posse converti immediate in sanguinem, quam in corpus; sed oportere, ut cum vino coalescat in vinum, quod mistum dicitur, non quia substantialiter sit diversum a vino, sed quia postquam partem aquæ in se convertit, temperatum manet, et qualitatibus aquæ affectum.

10. *Tertium fundamentum.* — *Objectio.* — *Solvitur.* — Tertio hoc declaratur a posteriori, quia, si aqua ex æquo est materia ac vinum, reddi non potest ratio, cur vel non sit æque necessaria ac vinum, vel non possit ipsa sola ac pura immediate converti in sanguinem, sicut potest purum vinum. Quod præterea ita declaro, nam si sufficit vinum mistum per juxtapositionem, ergo etiam si misceatur æqualis vel major pars aquæ, nihilominus totum illud mistum convertetur in sanguinem, quia revera est vinum mistum usuale, nec reddi potest ratio, cur minor quantitas possit converti, et non major. Dicit potest, aquam non posse converti, nisi saltem accidentaliter sit alterata a vino et receperit accidentia ejus. Sed contra, nam saltem sequitur, solam aquam, dummodo habeat accidentia vini, etiam si non habeat admistam substantiam ejus, posse converti, quod est omnino falsum. Sequitur deinde, si contingeret vinum et aquam ita misceri, ut utriusque substantia periret, et fieret unum aliquid distinctum habens accidentia vini, quod in ordine ad communem potum vel usum existimaretur vinum lymphatum, nihilominus illud esse materiam, quod est alienum a sana doctrina, et definitione Conciliorum. Imo præterea sequi videtur, si paululum aquæ rosacæ misceatur vino, et recipiat accidentia ejus, licet in vinum non transeat, posse converti in sanguinem Christi, quia etiam totum illud mistum est per modum unius potus, et substantia aquæ naturalis, per se sumptæ, non est magis materia quam substantia aquæ rosacæ. Et ita nonnulli concedunt hanc sequelam, sed revera consequens est valde absurdum, et contra omnem antiquitatem. Et confirmatur, nam hac de causa introductum est in Ecclesia, ut modicissima aqua misceatur, quia revera existimatum est aquam in sua substantia non esse materiam. Tandem confirmo, quia si aqua, durans in substantia sua, converteretur in sanguinem Christi, eadem ratione sanguis Christi continueretur, et conservaretur sub accidentibus aquæ; ergo si contingeret species vini accescere, ita ut non possent conservare substantiam vini, species autem aquæ integras

manere, conservaretur sanguis Christi sub speciebus aquæ, etiam si desineret esse sub speciebus vini. Et eadem ratione si illa aqua posset in se convertere vinum, et proportionalis actio inter ipsas species intercederet, posset in illis conservari sanguis Christi; ac denique si quacumque ratione illæ species aquæ consecratæ separarentur a speciebus vini, retinerent sub se sanguinem Christi; quod est revera inconveniens et absurdum, cum tamen non possit satis consequenter dici, propter solam separationem desinere ibi adesse corpus Christi, et substantiam aquæ redire. Signum ergo est, solum vinum immediate converti in sanguinem Christi.

11. *Argumentorum solutio.* — *Ad primum.* — Argumenta vero contrariæ sententiæ non sunt magni momenti. Ad primum ergo in primis dicitur, ut in plurimum, satis certum ac verisimile esse præcedere conversionem aquæ in vinum, ut supra probatum est. Et ad illam experientiam, qua dicitur aquam iterum separari posse a vino, responderi potest, vel id solum contingere, si fiat antequam conversio perficiatur, vel certe, ut respondet D. Thom. in 4, dist. 44, in expositione litteræ, id, quod separatur, non est aqua, sed quidam aqueus humor, cujus signum est, quod etiam ex puro vino potest extrahi. Deinde dicitur, si interdum contingat consecrationem fieri ante conversionem aquæ in vinum, non sequi aliquod incommodum; magis quidem decet ut, si commode fieri potest, aqua prius in vinum convertatur; et hoc sensu intelligenda sunt et acceptanda, quæ contra secundam opinionem dicta sunt; si tamen aliud accidat interdum, non refert. Ad illud vero de adoratione respondetur, non adorare fideles quidquid est in calice; possunt enim interdum esse in calice aliæ res, ut paleæ, etc.; adorant ergo id, quod consecratum est, seu quod sub speciebus vini continetur. Ad aliud de jejuniis respondetur, satis esse, ut probabiliter credatur, aquam esse conversam in vinum; si tamen interdum accideret, certum esse, talem conversionem non esse factam, ut in casu illo, quando instante jam consecratione cognoscitur, tunc (inquam) consultius esset, ut sacerdos se existimaret non jejunum, neque iterum conficeret, quanquam, si vellet alteri opinioni adherere, quia totum illud recipitur per modum unius sacramenti, et quia contraria opinio non est omnino improbabilis, non damnarem illum. Ad aliud de forma seu pro-



nomine, *hic*, respondeo, idem argumentum fieri posse, si vino sit admista gutta mellis, vel alterius liquoris, vel si intra panem lateat particula casei. Respondetur ergo, ex intentione sacerdotis, seu Ecclesiae, et Christi, ad quam sacerdos se conformat, solum designari quod sub speciebus vini continetur. Vel certe sicut hoc dicitur absolute vinum, licet particulam aquae admistam habeat, ita illud idem dicitur sanguis Christi post conversionem, licet eadem particulam aquae habeat admistam.

12. *Solutio secunda.* — Ad secundum argumentum respondetur, non quemlibet potum, sed vini tantum, esse materiam hujus sacramenti, ut ostensum est; alias si argumentum illud esset efficax, quicumque alius liquor esset admistus vino, si tamen constitueret unum potum usualem, tota illa esset materia consecrabilis; quod est aperte falsum. Et argumentum de pane potius probat contrarium; quando enim aliqua farina hordeacea ita miscetur triticeae, ut tandem totum, quod conficitur, sit panis triticeus, et ejusdem rationis ac substantiae, tunc totum consecratur; si vero contingeret, particulam panis hordeacei manere interpositam pani triticeo, substantialiter tamen ab illo distinctam, revera non consecraretur. Neque Sancti dicunt vinum utcumque mistum esse materiam; sed vinum simpliciter, cui dicunt miscendam esse aquam; hanc vero dicunt converti in sanguinem, quia, saltem mediate, ita communiter fit; et interdum etiam dicunt, vinum mistum aqua converti, quia, licet aqua conversa sit in vinum, tamen simpliciter vocatur illud vinum mistum, quia manet affectum ac temperatum qualitibus aquae.

13. *Solutio tertia.* — Et idem tandem dicitur ad institutionem Christi. Unde illud argumentum retorqueri potest, quia Christus non instituit aquam, ut partem materiae, cujus signum est, quia non praecepit illam misceri; neque est verisimile, dedisse potestatem ad convertendam materiam, quam non praecepit apponi. Quod si fortasse alia sententia dicat, potuisse hanc materiam institui, ut sufficientem, et non ut necessariam, et ut sufficientem tali modo, et non alio, respondeo, potuisse quidem id facere Christum, sed non constare id fecisse; quin potius contrarium. Et distinctionem illam, de materia sufficienti, et necessaria, inauditam esse in aliis sacramen-

tis, praeterquam penitentiae, in quo fuit specialis ratio, in natura rei fundata, ut ibi dicitur.

14. *Si post consecrationem calicis, aqua in vinum transeat, non fit sanguis Christi.* — Et ex his sequitur primo, si post consecrationem contingat, species consecratas corrumpere aquam, illam converti in solum vinum, et non in sanguinem Christi, quia haec conversio non fit, nisi per formam, quae jam habuit totum suum effectum; species autem consecratae virtutem retinent ad generandum vinum, ac si substantia adesset, ut ex infra dicendis constabit.

15. *Si in momento consecrationis, aqua convertatur in vinum, non transit in sanguinem.* — Secundo sequitur, si contingat aquam converti in vinum, in eodem momento, in quo perficitur forma consecrationis, et convertitur vinum in sanguinem, in eo casu aquam converti in vinum, et non in sanguinem. Probat, quia dictum est aquam non posse immediate transire in sanguinem; in eo autem casu nec mediate posset, quia neque in eodem momento potest fieri duplex conversio, alias in eodem instanti aqua inciperet esse vinum per primum sui esse, et desineret esse vinum per primum non esse, quae est aperta implicatio contradictionis; neque post illud instans potest aqua transire in sanguinem, quia jam actio formae cessavit.

16. *Aqua non vertitur in sanguinem, si quando profertur pronomen, hic, non est conversa in vinum.* — Tertio difficilius est, quid sit dicendum, si contingat, conversionem aquae in vinum fieri, ante finitam formam, tamen post illam inchoatam, et post dictum pronomen, *hic*; videtur enim probabile tunc converti in sanguinem, quia in instanti consecrationis aqua jam est vinum, et tota significatio formae refertur ad illud instans, ut videbimus. In contrarium autem est; quia, ut consecratio fiat, oportet materiam esse praesentem, quando illo pronomine designatur; ergo multo magis necesse est, ut jam existat. Sicut in consecratione panis, si quis inciperet proferre formam, antequam panis esset praesens, vel propinquus, nihil conficeret, quamvis fingamus panem fieri praesentem, antequam absolvatur forma, quia, licet significatio formae referatur ad ultimum instans, tamen tota est in ordine ad species, quae praesentes adesse debent, quando tota forma profertur; et haec ratio videtur mihi urgentior. Et haec tenus de materia remota.





